CURAE CRITICAE IN C. VALERII FLACCI ARGONAUTICA.
PARTICULA I.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIX. MENSIS MARTII A. MDCCCLXX HORA XI

PUBLICE DEFENDET

BRUNO HIRSCHWAELDER

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

A. NIEDENFUEHR, DR. PHIL. J. STANGE, CAND. PHIL.
J. WIEDEMANN, STUD. PHIL.

VRATISLAVIAE.
TYPIS F. W. JUNGFERI.

MARTINO HERTZIO

SACRUM.

PRAEFATIO.

Quum abhinc duos fere annos in eligenda aliqua materia diu multumque fluctuassem et haesitassem, unde opusculum viribus meis accommodatum conscriberem, perlustranti epicorum Romanorum opera, in quibus legendis animo lubentissimo summaque semper voluptate ac delectatione eram versatus, in manus mihi venit elegans ille et lepidus expeditionis Colchicae enarrator atque Apollonii Rhodii aemulator melioris notae, *C. Valerius Flaccus.* Quem ubi immerito prae aliis poetis egregie neglectum jacere ideoque pessimis corruptelis et vitiis inquinatum esse atque oppletum cognovi, adeo ut permulta adhuc residua sint, in quibus criticam aliquis industriam collocet[1]), vocem illam J. Bakii recordatus, qui neminem vel mediocri ingenio praeditum ea, quae alii ante invenerint, suo quodam invento quantumvis exiguo non posse augere atque perficere praedicat[2]), operam navare Valerio constitui, qua fortasse aliquando ad emendanda et enucleanda Argonautica, quod acerbum poema, ut J. C. Scaligeri verbo

---

[1]) Phil. Wagner in Philologi tom. XX a. 1863 pag. 616. »Es ist eine auffallende Erscheinung, dass die deutsche Philologie sich mit einem so bedeutenden Dichter, wie Valerius Flaccus ist, verhältnismässig so wenig befasst hat« e. q. s. Adde Jahrbücher für classische Philologie her. von A. Fleckeisen tom. X 1864 pag. 382 et 406 sqq. Cfr. G. Thilonis Prolegg. ampla doctrinaeque plena quae editioni suae praemisit, pag. XCVIII.

[2]) Oratio de humanitatis laude in veterum literarum studio spectanda, habita in academia Leidensi et edita separatim Lugduni Batavorum a. 1829.

utar, nobis ille reliquit, quantum quidem in me est, conferre possem. Sed quum non sine aliquo pavore audax paene hoc consilium sim aggressus, qualicunque huic scriptiunculae bonam veniam peto atque exoro. Propositum igitur mihi est, prima hac particula de locis nonnullis agere e libris primo secundo tertio petitis, qui praeter alios ad vires meas factitanda arte critica exercendas videbantur idonei esse. Ac si cui unum alterumve eorum non dico persanasse, sed non stulte restituisse videbor, permagnum sane gaudium ac satis largos fructus ex hac opella percepturum me confido.

Initium facio a *libr. I.* vers. 63, qui criticorum ingenia miris modis exercuit multisque conjecturis jam locum dedit.

.... tantoque silet (sc. Pelias) possessa dracone
vellera, multifidas regis quem filia linguas
vibrantem ex adytis cantu dapibusque vocabat
et dabat *externo* liventia mella veneno.

Sic legitur in codicibus, quum editiones Bononiensis et Aldina e conjectura praebeant *hesterno*, quam probant Zinzerlingius, Bulaeus, Nic. Heinsius[1]), Burmannus, recentiorum, quod equidem sciam, Ladewigius[2]) et Ph. Wagner[3]). Novis-

[1]) Nam quod olim *alterno* legi jusserat, ipse postea suo jure rejecit.

[2]) Ad Verg. Aen. libr. IV vers. 486. »Es wird die Nahrung angegeben, welche die Priesterin dem Drachen reicht. Mit ähnlichem Honigkuchen füttert die Medea den Drachen, der das goldene Vliess bewachte; denn bei Valer. Fl. VIII 95—97 sagt sie zu dem Drachen, den sie eben durch ihre Zauberkünste in tiefen Schlaf versetzt hat: Non ego te sera talem sub nocte videbam, Sacra ferens epulasque tibi, nec talis hianti *Mella* dabam ac *nostris* nutribam fida venenis. Durch den einschläfernden Mohn will die Priesterin die Wuth des wilden Drachen etwas mildern und ihn veranlassen, seine Wuth nicht an befreundeten Personen auszulassen. Zu demselben Zwecke bedient sich Medea bei Val. Fl. I 63 *abgestandenen* Giftes: Et dabat *hesterno* liventia mella veneno.«

[3]) Philol. p. 618 .... »hesterno bedeutet recenti, igitur valido, wozu im Geiste des Dichters vielleicht noch der Gedanke hinzutrat ad hesternam lunam collecto.« Eandem jam ante amplexus erat interpretandi

simus Argonauticon editor Thilo uncis quidem versum inclusit, sed quam maxime se dubitare ipse postea[1]) fatetur, num recte versum spurium atque ex libr. VIII vers. 97 effictum judicaverit. Scripturam *externo* non posse tolerari virorum doctorum unus omnium ferme consensus est; namque ut ridiculam Baptistae Pii interpretationem[2]) vix dignam, quae refutetur, omittam, apte mihi videtur Heinsius ita disputasse: .... »In scriptis tamen omnibus *externo veneno*. perperam. nec dubitasse Carrion debebat. Nam cum ex Caucaso suo omnium praestantissimum venenum aconiton Medea posset depromere, quid opus illi erat ad venena externa confugere«[3]). Quam argumentationem viri doctissimi, cujus singularis in hoc genere literarum est auctoritas, frustra infringere tentavit Jon. Aug. Weichertus[4]), qui cum Delamallo *externo* in textum revocandum esse censet. Subtilius enim quam verius causam ab Heinsio allatam, quum Romanum poetam manibus versemus, negat ullius esse evidentiae. Jam quaeritur, num probare queamus Italorum commentum, qui *hesterno* i. e. pridie infuso conjicientes versum in integrum restituisse sibi visi sunt. Jure meo quidem arbitratu infelicem emendationem esse dicit Eyssenhardtius[5]) hisce verbis: »Quamvis bene, inquit, cenae relliquiae et id genus alia hesterna dici possunt, manifestum est notionem illam hesterni cum rei ipsius natura congruere et in ea jam, ut ita dicam, praeformatam esse« e. q. s. Sed

---

rationem J. Aug. Wagner Commentar. perp. in C. Val. Fl. Arg. libr. VIII Gottingae 1805 pag. 13. .... »hesterno veneno pascebat livente, quod, quum pridie paratum esset, ex intrito veneno livorem contraxerat sucosque pestiferos penitius inbiberat.« Vides igitur, quantopere inter se de explicando hoc adjectivo dissentiant viri docti, quum hi validum, languidum ille venenum poetam significasse contendunt.

[1]) Prolegg. pag. LIV.

[2]) externo i. e. peregrino ab humanitate (sc. draconi).

[3]) Adde, quod aperte ipsa libr. VIII vers. 97 dicit: ac *nostris* nutribam fida venenis.

[4]) Observationes criticae in C. Val. Fl. Arg. in actis seminarii regii et societatis philologicae Lipsiensis cur. Chr. Dan. Beckio Vol. II. part. II pag. 329.

[5]) Emendationes Valerianae. Mus. Rhen. tom. XVII pag. 379 sqq.

ipse *interno* proponens i. e. »livebant mella veneno, quod in se habebant,« non minus infeliciter in refingendo hoc versu Thiloni, Ph. Wagnero mihique videtur versatus esse. Ac ne Thilonis quidem suspicio, qui *insperso* a manu poetae profectum putat, placet. Equidem non nimia mutatione scribere malim

et dabat *experto* liventia mella veneno

i. e. mella veneno liventia, cujus vigorem saepe jam senserat draco, vel quod bonum ac strenuum esse jam pridem Medea draconi coenam illam porrigens cognitum habebat. Cfr. Cicer. or. pro Cael. XXIV: »Ipsius autem veneni quae ratio fingitur? ubi quaesitum est? quem ad modum paratum? quo pacto? cui, quo in loco traditum? habuisse ajunt domi vimque ejus esse *expertum* in servo quodam ad eam rem ipsam parato: cujus perceleri interitu esse ab hoc *comprobatum* venenum.«

E Verg. Aen. libr. IV v. 483 sqq.

Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, *epulasque draconi*
quae dabat et sacros servabat in arbore ramos
spargens humida mella soporiferumque papaver,

luculenter opinor apparet injuria vers. 63 interprolatori tribuere voluisse Thilonem[1]), quoniam manifesta adest Vergilii imitatio, cujus vestigiis tam saepe inhaeret Valerius. Insuper jam nostro loco optime Medeam monstri domitricem pluribus commemorari censeo, quippe quae tantas in reciperando vellere partes mox sit actura. Atque ea potissimum res, quod draconem pascere solet Acetae filia, omnium gravissima est, qua postea item pabulum praebens ut simul plane eum consopiat, ei contingit. Accedit quod alium quoque versum simili modo orditur poeta libr. III v. 11

primas conjunx Percosia vestes
quas dabat et picto Clite variaverat auro.

Eandem autem structuram solutiorem ac liberiorem, qua hic usus est — quem vocabat et [cui] dabat — pariter adhibitam

---

[1]) Hoc Ph. Wagneri quoque judicium est. Jahrb. f. cl. Ph. pag. 404. »Der Vers rundet das Ganze passend ab.«

invenimus libr. VIII v. 96 sq. quos supra attuli. cfr. praeterea I 101

primae seu quos in flore juventae
tentamenta tenent necdum data copia rerum.

Libr. I vers. 271.

Omnibus inde *magis* calor additus; ire per altum
magna mente volunt.

Sic scriptum in codice Carrionis erat, qui temporum iniquitate absumptus viris doctis ansam dedit gravis controversiae.

Diversissima enim de eo tulere judicia. Caspar Barthius, Weichertus, Thilo, Ph. Wagner[1]) negant ullius eum esse pretii, Heinsius vero et Eyssenhardtius[2]) optimum ac veterrimum eum habent plurimique aestimant. Suo jure nuper accurata et diligenti instituta quaestione hujus codicis patrocinium suscepit Meynckius exemplisque demonstravit Belgici libri auxilium ad manum poetae restituendam haud quaquam esse aspernandum, immo non raro sinceram eum exhibere lectionem, quum alii codices labem traxerint scripturamque praebeant ab illo plane discrepantem, cujus rei exempla inveniuntur permulta, velut, ut unum in medium proferam, I 130

hic insperatos Tyrrheni tergore piscis
Peleos in thalamos vehitur Thetis; aequora delphin
corripit; illa sedet dejecta in lumina palla
nec Jove majorem nasci suspirat Achillem,

ubi codex Carrionis cum codice Vaticano 1613 conspirans habet *insperato*, unde facili conjectura Gronowius elicuit *insperatos;* contra Vaticani 3277 memoria codicis summae auctoritatis prorsus obscura est. Item vers. 132 unus codex Carrionis veram servasse videtur lectionem: corripit; *illa sedet*[3]) etc. cfr. VIII 204

atque ibi dejecta *residens in lumina palla*

---

[1]) Jahrb. f. cl. Ph. pag. 398.

[2]) Mus. Rh. pag. 378 et 384. cfr. literar. Centralblatt für Deutschland her. von Fr. Zarncke 1864 pag. 520.

[3]) Miror equidem, quod Weichertum (epistola critica de C. Val. Fl.

flebat adhuc. — Sic loco illo, unde exorsi sumus, codicis Carrionis vestigia premens conjicio: Omnibus inde *maris calor* additus, ita ut sequentibus verbis: »ire per *altum magna mente* volunt« eadem sententia gravius et significantius repetatur. Similia haud raro apud Valerium legimus, quoniam poeta est verbosissimus ac justo nonnunquam loquacior. Exempla vide apud Meynckium pag. 37 ad II 70. Rem conficit I 37

ira maris vastique placent *discrimina ponti.*

Adde praeterea V 565 et 566

qualis ab Oceano nitidum chorus aethera vestit,
qualibus adsurgens nox aurea cingitur astris.

Viae, quod est in ceteris codicibus, glossam duco, quae

Argonauticis ad H. C. A. Eichstädt scripta Lipsiae 1812 pag. 16 sq.) versus illi Iliadis XVIII 432 sq.

ἐκ μέν μ' ἀλλάων ἁλιάων ἀνδρὶ δάμασσεν,
Αἰακίδῃ Πηλῆϊ, καὶ ἔτλην ἀνέρος εὐνὴν
πολλὰ μάλ' οὐκ ἐθέλουσα

quos ad comprobandum verbum *silet*, quod est pro *sedet* in editionibus Bononiensi et Aldina, ad vers. 132 commemorat, non eo potius adduxerunt, ut ipse quoque Gronowio adstipularetur, quamquam *vagum* — scribit enim B. Pium secutus hic *spectata vago* e. q. s. — insigne tergoris delphini vereque poeticum epitheton esse fateor. At fortasse *vago* a doctiore et politiore librario ad explendam lacunam, quae lectione *spectata* vel *sperata* omissa syllaba *in* effecta erat, pariter ac participium *sedens*, quod in editionibus Bonon. et Ald. legitur, additum est. — Ceterum illum Weicherti libellum non novisse videtur Thilo, quamvis non sine fructu legatur. Velut eximiam me judice conjecturam protulit ad libr. I vers. 148

adclinisque tapetis
in mediis vacuo condit caput Hippasus auro,

ubi pro *in mediis* proponit *immanis*, epitheton Centauro perquam idoneum. Optimus inde membrorum ut ita dicam parallelismus exsistit, quum Clanis et Nessus sine epithetis positi a Monycho et Hippaso, quorum uterque suo ornatus est adjectivo, includantur. *Immanis* primo loco positum (cfr. v. 208) admodum efficax est ipsaque adjectivi modulatione ingens Centauri corpus et fera saevitas quodammodo significatur pictaque tanquam imago ante oculos nobis ponitur. Infelicem Eyssenhardtii ad h. l. conjecturam

in medio *fatuum* condit caput Hippasus *antro*,

qua non minimam partem pulchritudinis de hac imaguncula detraxit, aptis argumentis refutavit Ph. Wagner Philol. p. 618 sq.

ad supplendam notionem caloris superscripta *magis* particulam sede summovit. Imitatus esse videtur Valerius Vergilium Aen. II 355

Sic animis juvenum furor additus,

unde Peerlkampius suam emendationem:

Omnibus inde *animis* calor additus

hausit ingeniosam quidem, sed audaciorem, quam quae recipiatur[1]. — I 355. In enumerandis Argonautis pergit poeta

celer Asterion, quem matre cadentem
Piresius gemino lavit pater amne Cometes,
segnior Apidani vires ubi sentit Enipeus.

Hoc enuntiatum suo verbo carere neminem offendit nisi Burmannum, qui *sedet* legi proponit, quod literarum ductu a vulgata longius discedit itaque facile ferri nequit. Quum igitur totum hunc locum identidem perlegissem ac subsequentia potissimum verba inter se comparassem, quibus quid egerit unusquisque heroum, indicatur — qualia sunt niti (remis eniti IV 680), remo terga urgere, tortas in undas consurgere, frangere aequor — in eam incidi opinionem, ut Valerium scripsisse pro explorato paene haberem:

calet Asterion i. e. sudat remis strenue ducendis, qui significatus maxime ad verba illa quadrare mihi videtur.
Aeque v. 442 heu *celerem* Scythica te maesta relinquet harena hoc adjectivum spurium esse elucet, qua de re Thilonis adnotationem vide ejusdemque emendationem egregiam.

I 399.

insequeris casusque tuos expressa, Phalere,
arma geris; *vacua* nam lapsus ab arbore parvum
ter quater ardenti tergo circumvenit anguis:
stat procul intendens dubium pater anxius arcum.

Adjectivum *vacua* Bapt. Pius προληπτικῶς usurpasse Valerium sibi persuasit explicatque evacuatam ex descensu ser-

---

[1] Thilo Prolegg. pag. LXXVIII. Contra Ph. Wagner Jahrb. f. cl. Phil. pag. 405 lectiones nec *viae* nec *magis* tolerari posse arbitratus judicat aut *viris* corrigendum aut probandum esse Peerlkampii illud inventum.

pentis arborem esse, cum prius immensi tortuosissimique draconis nodis implicaretur. Heinsius cur arbore *vacua* poeta dixerit, non perspicit; »ni fallor, inquit, scripserat *patula*. Sic patula fagus apud Maronem initio Bucolicon. Naso Metamorphoseon primo[1])

et quae deciderant patula Jovis arbore glandes.

Silius Italicus libro X[2])

par juxta querum longum molita per aevum
vertice canenti proferre sub astra cacumen,
diffusas patulo laxabat stipite frondes.

A. Gellius Noct. Att. libr. XV cap. 16 de Milone Crotoniata: Quercum vidit proxime viam patulis in parte media ramis hiantem.«

Ingeniosam hanc emendationem in textum Thilo recepit. Foedum ac turpe mendum commisit Aug. Wagner[3]) *cava* legendum esse ratus. Equidem quamvis Heinsianam conjecturam haud parvi existimem, tamen genuinam lectionem hanc esse censeo:

vidua nam lapsus ab arbore e. q. s. quae posteaquam glossator aliquis *vacua* adscripsit, e sua sede perperam est ejecta[4]). Rami igitur arboris non vestiti ac circumventi erant palmitibus et pampinis, ita ut inter sese quasi juncti essent

---

[1]) vers. 106.

[2]) Hoc loco erravit vir doctus; sunt enim libri *V* vers. 485—487.

[3]) Comm. perp. pag. 32. — Idem vocabulum libr. III versui 6

... quem *sua* noto
colle per angustae Lesbos freta suggerit Helles

inferre voluit Thilo, quem offendit vox *sua*. Ipse olim conjeceram

sed quem *insula* e. q. s.

(cfr. VIII 217. Lucan. II 617), verum rectissime vidit Ph. Wagner Jahrb. f. cl. Phil. pag. 402 *sua* referendum esse ad Bacchum deum, cui sacra fuit Lesbos vino celeberrima.

[4]) Idem pertinere mihi videtur ad Claudiani in Eutropium libr. II vers. 93

huic curas et clausa palatia mandat ceu stabulam *vacuam*que domum, ubi plures codices *viduamque d.* habent, qua de re Delrii Heinsiique adnotationes quaeso adeas. Multo certe vero similius est »viduam« aliquem interpretari voluisse per »vacuam,« quam huic adjectivo illud substituisse.

et copulati, verum patuli et nudi, qua re perfacile fieri potuit, ut decideret serpens. — Cfr. Horat. carm. IV 5, 30

Condit quisque diem collibus in suis
et vitem *viduas* ducit ad arbores.

Ep. II 10 Ergo aut adulta vitium propagine
altas *maritat* populos. cfr. Epist. I 16, 3.

Juvenal. VIII 78

Stratus humi palmes *viduas* desiderat ulmos.

Martial. III 58, 3

Bajana nostri villa, Basse, Faustini
Non otiosis ordinata myrtetis
*Vidua*que platano e. q. s. — Ad vers. 398 cfr. libr. II v. 655.

I 498 sq.

Siderea tunc arce pater pulcherrima Grajum
coepta tuens tantamque operis consurgere molem
laetatur; patrii neque enim probat otia regni.
Una omnes gaudent superi *venturaque mundo*
tempora quaeque vias cernunt sibi crescere Parcae.

Priusquam quid de impedita horum versuum ratione mihi in mentem venerit, dicam, liceat mihi sententiarum conexum virorumque doctorum commenta in medium proferre. — Jam in eo est, ut puppis litore solvatur (v. 628); jam Aesonides, ut poetae verba afferam, ardenti ferro retinacula abscidit itque propulsa ratis. Tum pergit summo gaudio perfundi Jovem, quippe qui Saturni regnum nimis otiosum et placidum oderit velitque, ut vers. 246 legimus, suo commercia mundo et tantos hominum miscere labores. Neque non ceteros deos deasque omnes expeditionem Colchicam singulari prosequi laetitia. Hanc sententiam ita Valerium expressisse libri manuscripti tradunt:

Una omnes gaudent superi venturaque mundo
tempora quaeque vias cernunt sibi crescere Parcae.

Quae verba nulli viro docto non fuerunt offensioni. Atque Heinsius quidem, ut ab hoc ordiar, qui poetas latinos tam acri seduloque studio pervolutavit, putabat scribendum esse ventura *profundo*

tempora, qua conjectura — altera nihil prorsus proficitur[1]) — illa quidem tollitur difficultas, quam efficit copula que tam insolite collocata, verum nihilo secius eam reprobem, quia gaudere perraro et apud Valerium nusquam cum accusativo junctum reperitur. Eadem de causa ne Ph. Wagneri quidem conjecturam (Jahrb. f. cl. Phil. pag. 405) »*venientia* mundo tempora« amplector, praesertim quum paullo audacior esse insuper mihi videatur. Burmannus de loco intricatissimo copiosius disputat haec: »Nec ipse, inquit, capio satis ventura illa mundo tempora. per quae Horas deas intelligit Pius. nec facile tamen correctiones Heinsianas admitto, quum sensus tolerabilis exsistat, si hic ordo verborum constituatur. Una cum Jove omnes superi gaudent et Parcae, quae cernunt ventura mundo tempora et vias sibi crescere. saepe noster illas copulas et & que variis locis ponit, quae in suum debent revocari locum e. q. s.« At contorta haec verborum series quin intolerabilis sit, non dubito. Similem olim secutus erat Thilo[2]) expediendae difficultatis viam putans Valerium in que copula transponenda nimis audacem fuisse et hunc esse proprium verborum ordinem: una gaudent superique omnes ventura tempora Parcaeque, quae cernunt sibi vias crescere. Sed ipse fatetur admodum id artificiose excogitasse sese ideoque etiam Burmanni explicationem sprevisse.

Ac re vera talis in collocandis particulis licentia vel apud Valerium his in rebus interdum liberiorem inaudita res est, ita ut simile exemplum frustra in Argonauticis quaeras. Subtili, sed ut ipse concedit, paullo violentiore et artificiosa conjectura versum tentavit Thilo. Cujus ultimum pedem sedem quasi corruptelae esse pro certo habens, quum desit, quod pro mundo reponatur, ut et sententia probabilis evadat et observetur literarum similitudo, mundo illud e versu 246 primi libri, quem supra attigi, adscripto in hunc versum translatum esse arbitratur. »Sic enim, inquit, rem mihi fingo: in archetypo Vaticani ad voces, quae sunt »patrii neque enim probat otia regni« in margine aliquis adscripsit »ipse suo

[1]) venturaque *ponto* tempora.

[2]) Prolegg. pag. LVIII.

voluit commercia mundo,« ut mundo juxta extremam versus 501 vocem poneretur[1]) itaque cum is, qui Vaticanum exaravit, duas syllabas abundare videret, non mundo omisit, sed eam vocem, qua poeta versum terminarat, fortasse verbo aliquo, quale est laudant.« — De sensu quamvis cum editore doctissimo consentiam, tamen non possum, quin rationem ejus ipsam nimis quaesitam agnoscam. Quocirca alium potius explicandae corruptelae modum ingressus mundo simpliciter depravatum esse opinor ex *promunt*, quod paullulo forsan probabilius videatur facilioremque admittat explicationem quam Thilonis commentum. Namque saepenumero factum est, ut una alterave vocabuli alicujus syllaba nescio quo casu exstingueretur ac doctior tum librarius, ut pedum numerum suppleret, suum quodlibet substitueret inventum. Optime autem hoc loco verbo promendi uti potuit poeta, quum dii laetabundi jam mente sibi fingere sermonibusque inter se praecipere, quanto pulchrior oritura sit aetas, sint censendi.

Similiter haud raro verbum illud usurpatur. IV 142 sqq.

postquam remeare monentem
ocius et dictis perstantem cernit in isdem,
abripit et sociis, quae sint ea, *promere* cogit.

ejusdem libr. v. 624 jamque ultima nobis *promere* fata nefas. VI 41 ergo duces solasque, deae, mihi *promite* gentes.

Sine justa quidem causa, sed eleganter libr. I vers. 272 ubi vulgo legitur:

Phrixi *promittitur* absens

vellus e. q. s. Heinsius proponit

Phrixi *jam promitur* etc. —

Exquisitam certissimamque emendationem, quae mutationem proditae scripturae efficit nullam, de versu subsequenti, in quo sanando tot tantique viri jam elaborarunt ac desudarunt, mecum communicavit Prof. Ill. Martinus Hertzius scribendum esse videns

---

[1]) laetatur; patrii neque enim probat otia regni.
una omnes gaudent superi venturaque laudant
ipse suo voluit commercia mundo

tempora *aquaeque* vias e. q. s.

Cfr. V 316 nec *pelagi* nos mille *viae* nec fama fefellit.
VIII 190 inde sequemur ipsius *amnis iter.*
Ovid. Met. XI 747 Tum *via* tuta *maris.*
(Pseudo-)Ovid. Epist. XVI 104:

nec potui debere mihi spem longius istam
caerulea peterem quin mea vota *via.*

(cfr. Verg. Aen. VII 198). Ovid Ep. XIX 160

sternet et *aequoreas* aequore nata *vias.*

cfr. locutionem ex Homero notissimam ὑγρὰ κέλευθα. — Si quis vero contradicat fieri facile non posse, ut *aquae* vias *crescentes* viderint Parcae, quoniam ante illud tempus freta fuerint impervia hominibus, ut canat primo Argonauticon versu Valerius: *prima* deum magnis canimus *freta pervia* natis (cfr. IV 711 et V 660), equidem judico talem dubitationem ad redarguendam lectionem propositam nullius esse momenti. Etenim recte omnino ad l. c. disputavit Burmannus ita: »Scaligero satisfieri posse credo, si Tyrias et Pharias carinas, quas infr. versu 644 memorat Flaccus, concedamus jam ante Argo versus occidentem et oras Africae et Hispaniae cursum instituisse, sed minime ausas fuisse Bosporum et pontum Euxinum peragrare; vel si dicamus Neptunum ibi non priores Argo naves facere, sed vaticinantem de sequentibus temporibus fingamus. Neque etiam pecasse dici potest poeta, quod naves in Ponto Euxino obvias Argonautis faciat, quia nec illae unquam Cyaneas et Bosporum transierant, sed intra Ponti oras se continuerant. Argo vero prima fecit *pervia* freta et ab Aegaeo mari perrupit aequora ad Phasim usque.« Quare bene, quum jam in eo esset, ut navigatio usque in aequor periculorum omne genus plenum propagaretur atque extenderetur, nostro loco dicere licuit majorem amplioremque jam dari Parcis copiam suo fungendi munere atque officio. Totum igitur locum scribo sic:

Una omnes gaudent superi venturaque *promunt*
tempora *aquaeque* vias cernunt sibi crescere Parcae.

In priore versu quod non certiorem medelam in promptu habui, doleo; sed alterius versus remedium quin unice verum sit, extra omnem collocatum est dubitationem.

Nunc velim animum attendas ad vers. 563 sq.

Tendite in astra, viri; me primum *regia* mundo
Japeti post bella trucis Phlegraeque labores

Inposuit; de quibus ante Thilonis audiamus judicium[1]) .... »voces quae sunt *me primum regia mundo ... inposuit* non habent facilem explicatum. haec autem erat poetae mens Jovem cum Japeti post bella trucis Phlegraeque labores regiam suam, i. e. caelum obtinuisset, ea re primum et principem mundi constitutum esse. (Aug.) Wagnerus *regiam* deorum concilium intellexit.« Phil. Wagner[2]) nihil nisi brevitatem quandam agnoscens et ipse vulgatam salvam esse opinatur. At non dubito, quin tantam dicendi obscuritatem viri docti injuria assignent Valerio neque in illis loci interpretandi conatibus possum acquiescere. Ac *regia* quidem est nihil aliud quam aut palatium aut regnum, quarum significationum neutram nostro loco admitti posse vix est, quod demonstrem. Nullo vero modo significat vox illa deorum concilium ac frustra elaboravit A. Wagner (C. P. pag. 40) in exemplis ad firmandam suam interpretationem investigandis. Tria enim quae attulit nullius sane pretii sunt. Val. Fl. I 668

di, quibus undarum tempestatisque sonorae
imperium et magno penitus par *regia* caelo e. q. s.

Verg. Georg. I 503

Jam pridem nobis *caeli* te *regia,* Caesar,
Invidet atque hominum queritur curare triumphos.

Aen. VII 210

Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis *regia caeli*
Accipit et numerum divorum altaribus addit.

Secundi quidem loci, qui primo obtutu quadrare quodammodo videtur idque magis certe quam reliqui duo, sensus est hic: regia caeli te, Caesar, jam pridem deum recipere gestit,

---

[1]) Prolegg. pag. XVI.

[2]) Jahrb. f. cl. Phil. pag. 384. »Ebenso finde ich nichts als ein Beispiel prägnanter Kürze in I 563, wo regia die regia caeli ist, mit deren Besitz die Herrschaft der Welt verbunden war, weshalb auch Juppiter κατ' ἐξοχὴν der Olympier heisst.«

tuum concupiscit fieri domicilium; ergo hic regia optime dixit poeta, contra nostro loco id substantivum quam maxime nos offendit nec profecto idoneam, ut ipse Thilo sensit, habet explicationem. Ceterum veteres interpretes multum ac diu in enodando versu versati tamen non potuerunt ex illa difficultate sese expedire[1]). Levi adhibita medicina locum sanare mihi videor sic:

me primum regia mundo — *vis* posuit. Nunc omnia rectissime se habent. Vide, quanta vi vis vocabulum unius versus spatio intermisso in initio sequentis sit positum; nam regia sane ac divina vi magnisque laboribus Jovi opus erat ad Gigantum atrocem impetum reprimendum et ad exstinguendam Titanum rebellionem. Proinde et Argonautarum sit omnes vires intendere ad superanda pericula, quae plurima ac gravissima iis immineant.

Initium autem vers. 565 eo facilius corruptela affici potuit, quod ab eadem subsequens incipit syllaba (*in*stitui). De verbo ponendi vide similes nostro locos hosce:

Sil. Ital. VI 593 rectorem *ponere* castris.
Idem IX 226 quis *positum* agminibus caput.
ibid. vers. 491 ventis *positus* custos. —

Idem conjiciendi genus, quo in restituendo vers. 501 usus sum, adhibeo in vers. 671:

tuque, fretum divosque pater sortite biformes,
seu casus nox ista fuit, seu volvitur axis,
ut superum *sic staret* opus tollique vicissim
pontus habet, seu e. q. s.

qui vexatissimus est ac multis multorum studiis vario modo tentatus. Violata temporum consecutione locum foede depravatum primo jam obtutu nemo non videt; cui vitio ut mederentur, Gronowius asterisco posito legit:

---

[1]) »Horum versuum intricatissimus fuit ordo tum propter lectionum variationes tum propter distinctiones et interpunctiones; ut taceam perturbatum sensum, in quo eruendo quidam mirum in modum se torserunt« ... Carrio. — »Aliter hi versus leguntur atque aliter in diversis libris. Ego (quid diffitear) ex nulla me intrico lectione« .... Zinzerling. — »Corruptissimus locus, ex quo me vix expedio ...... cogitabam aliquando mea *frenum* regia mundo .... imposuit« ..... Burmann.

sic stare * tollique vicissim p. h.

Burmannus:

seu solvitur axis *vi* superum *seu stare salum.*

Oudendorpius

vi superum, *seu sidere* opus e. q. s.

Peerlkampius[1]):

et superum *testatur* opus.

Thilo denique mavult retinere lectionem traditam quam ad conjectandum refugere ..... »Cum omnes, inquit Prolegg. pag. XXIII, quae propositae sunt conjecturae, quamvis sint ingeniose excogitatae, Oudendorpii imprimis, a Vaticani memoria nimis longe recedant, poetam malo neglegentiae incusare quam librarios, cum praesertim in sententia versus quid offendat non inveniam. ponit enim Jason axis volvatur necesse esse, ut aequali mundi pondere non turbato aeternum deorum opus durare possit.« At illud mihi non persuasi poetae ipsi deberi constructionem illam, praesertim quum aliud hujus rei exemplum ex Argonauticis afferri nequeat — diversi enim generis est libr. II v. 142, quem deinde appellat Thilo

utinam non hic tibi nuntius *essem,*
o soror, aut nostros, inquit, prius unda dolores
obruat.

Accedit quod *sic* vocula nimium quantum languet frigetque[2]). Quibus de causis vide, an legendum sit:

---

[1]) ad Verg. Aen. I 66 .... »seu nox, tempestas illius noctis, casu accidit seu axis volvitur et testatur hunc mundum a Deis esse factum et certa lege regi, atque adeo pontus propter illum axis motum vicissim tollitur« ...

[2]) Secus id videtur Ph. Wagnero Jahrb. f. cl. Philol. pag. 389 sq., qui *sic* retineri vult, sed ipse quoque expellit conjunctivum imperfecti. »Im folgenden will Hr. Th. das grammatisch falsche staret lieber der Fahrlässigkeit des Dichters als der der Abschreiber schuld geben. Nun die Abschreiber haben sich genug am Dichter versündigt. Einem Dichter aber wie Valerius dergleichen aufzubürden, das wäre zu viel. Es ist kaum zu bezweifeln, dass Val. *duret* geschrieben habe; auf der Bewegung der Himmelskörper beruht der Bestand des Weltalls, so (sic) wie es besteht. — ad II 142 f..... essem ist gleichfalls nicht einer »Nachlässigkeit« des Dichters beizumessen; die in Gestalt der Schwester der angeredeten erschienene Göttin wünscht damit etwas, wovon das

ut superum *sacrum stet* opus. Sed ne inconsulte ac temere propositas conjecturas nova auxisse videar, cfras quaeso, ut unum exemplum e multis promam, libr. II v. 358 Jupiter *aeternum* volvens *opus* atque Thilonis adnot. critic. ad v. 674, ubi in Vaticano exstat *rec* pro rector, ad III 469 (tend) et alia. Ita hic quoque nihil fortasse legebatur nisi *sac*, unde facillima emendatione profectum puto *sic*, quo facto, ut suos versui numeros redderet, ineptus quidam ac sciolus librarius imperfectum posuit pro praesenti. — Qua occasione oblata liceat mihi exempla aliquot alliterationis ex Argonauticis sumpta congerere. Quum enim Eduardi Lochii »de usu alliterationis apud poetas latinos« dissertationem (Halis Saxonum a. h. s. LXV) legissem, cujus pag. 3 fere *prorsus eam evanuisse in poematis* exeuntis reipublicae *primorumque saeculorum* p. Chr. n. contendit[1]), mox intellexi id non cadere in Valerium, ex quo unum attulisse exemplum (pag. 50) II 461 »*c*aeco *c*lamore *c*oloni« ille satis habuit. Ac plurima quidem quae inter legendum mihi occurrerunt exempla addere possum, sed, ne longus fiam, ex magna copia ea potissimum afferam, quibus aut plus duae voces alliteratione concinnantur aut alliteratio adest primarum syllabarum.

Liber I. 11 *ve*terumque fa*ve ve*neranda. — 15 *de*um *de*lubraque. cfr. III 63 *de*mens ille *de*am. VII 179 *de*lubra *D*ianae *de*veniat. VIII 208 *de*fleta *D*ianae. VII 272 *de*fecere *de*ae. VIII 283 *de*specta — *de*cuit. — 17 *C*ynosura *c*arinis *c*ertior. — 35 *a*b *a*nguae *A*rcas. cfr. 48 *a*lligat *a*rtus, *a*spicio meque *a*ssiduis. V 85 *a*rdent *a*vidos *a*ttollere. 176 *a*litis *a*tque *a*tris — auras. 453 *a*ligeris *au*t — *a*nguibus *au*ras. 227 *a*ries *a*pparuit *a*stro. 285 *a*pparat Acetes *a*ciem. quibus *a*ddimur *a*rmis? VI 279 *a*nimos *a*cies auget. 284 *a*nimos *a*tque *a*bstulit. 324 *a*lium — *a*spicis *a*nnum *a*ltricemque. — 38 *t*ranquilla *t*uens nec fronte *t*imendus. cfr. IV 232 nec fronte *tr*ucem nec mole *tr*emendum. — 54 *ma*tura *ma*rique. — 75 *t*holo ac *t*antis

Gegentheil stattfindet, dagegen mit obruat etwas, das unter gegebenen Umständen wirklich stattfinden kann.«

[1]) Cfr. pag. 5 . . . »In Horatio, Tibullo ceterisque poetis aevi Augusti *primorumque saeculorum pst Ch. n. quum nullum fere alliterationis vestigium invenerim*, transii ad poetas quarti quinti sexti saeculi.«

*t*emet. — 59 *con*ticuit, *c*ertus Scythico *con*currere ponto *C*yaneas. — 84 *tu*ta *tu*li. — 98 sq. *r*atem *re*misque — *re*vchat *re*busque. cfr. II 429 *r*emi *ra*puere *ra*tem. III 79 *ra*tem *ra*pere. IV 583 *ra*tis et *ra*bidi. VII 51 *ra*tis — *ra*pinis. — 102 *ten*tamenta *te*nent. cfr. 835 *ten*tare nefas et *ten*dere. IV 129 *ten*tavi *ten*uive. III 155 *te*lum *te*net. — 104 *vi*asque *vi*si. — *visi* enim Heinsii praeclara emendatio est a Burmanno jam in textum vocata pro *jussi*, quod libri praebent. »Mimesis, inquit ille, est indubitata Maroniani versus Aeneidos IV 358: ipse deum *manifesto* in *lumine vidi*. Apud eundem Maronem Aen. III 150:

> *visi* ante oculos adstare jacentis
> in somnis, multo *manifesti lumine*.«

Frustra *jussi* Weichertus tuetur Obs. crit. pag. 330. Verborum autem jubendi et videndi proclivis est et sollennis in libris mutatio. cfr. Burmanni adnot. ad I 125. Item v. 284 perperam codd. VP pro visa exhibent jussa. — Cf. praeterea similis alliterationis exempla haec: I 30 *vi*ri *vi*rtus (Aen. IV 3). 79 (et VIII 293) *vi*ridem *vi*det. 145 in*vi*to *vi*ctorem (Horat. Sat. II, 1, 76. invita — invidia. Ovid. Met. XI 787 in*vi*tum *vi*vere. XV 614 in*vi*ti *vi*dere). 208 *vi*su *vi*ttamque. IV 674 *vi*dere *vi*am. V 94 et VIII 297 *vi*sa *vi*ris (Ovid. Heroid. VI 55). VI 188 *vi*rum cum pulvere *vi*tae. — 127 *p*ervia *p*onto *p*uppis. — 139 *p*ulsatque chelyn *p*ost *p*ocula. — 322 *t*risti *t*uba *t*ertia. — 382 *m*irabere *m*ille *m*agistros. — 495 *s*ole *s*ecuntur *s*cuta. — 620 sqq. *tre*mulum — *t*urbo rapit. qui *t*um Minyis *tre*pidantibus horror, cum *p*icei fulsere *p*oli *p*avidamque. — 834 *re*gesque *re*ceptat. cfr. III 280 *re*ge *re*perto. VI 430 *re*ditus *re*gina. VIII 47 *re*gina *re*lictis. VII 45 *r*atis — *re*ge *re*portet. 650 *re*poscere *re*gem. —

Liber II. 81 *me*ritique piget *me*minisse. — 137 *cu*ris castumque *cu*bile. — 138 *fa*mulasque *fa*tigat. — 147 *t*halamisque *t*uis *T*hreissa. — 149 sq. *p*ar — *pr*oles *pr*aeclara — *p*icta — *p*lacet. — 199 sqq.

> *p*rosequitur *p*olus et tonitru *p*ater auget honoro.
> Inde novam *p*avidas vocem furibunda *p*er auras
> congeminat, qua *primus* Athos et *p*ontus et ingens
> Thraca *pa*lus *pa*riterque toris exhorruit omnis
> mater et adstricto riguerunt ubere nati.

Versu 201 equidem pro *primus*, quod jam Peerlkampio (ad Verg. Aen. VII 518) displicuit, emendo *pronus*, quod est promontorii epitheton haud ineptum. Namque quamquam sensu non plane destituta est lectio tradita, tamen perquam languere mihi videtur, adeo ut conjecturam praeferam facillimam, qua simul significetur vocem illam furibundam montis praeruptis lateribus repercussam majore vi intumuisse. — 326 *p*lacent *p*ortatque *p*reces. — 337 *f*orsitan hoc *f*actum taceat jam *f*ulmen. — 390 sq. *p*elagoque *p*arari *p*raecipitat; *p*etit. — 421 *d*ona *d*ei nunc *d*igna. — 431 *t*unc *t*enuis Lemnos *t*ransitque Electria *t*ellus *T*hreiciis. — 440 *m*issa *m*ane sacrisque *m*etum. — 466 *no*tas et *no*mina. — 512 *p*atrem *p*elagique deos suaque arma *p*recatus. — 531 *p*istris — *pr*oxima *pr*aedae. — 550 sq. *t*enebris *t*urba — *t*rahens. — 563 sq. *p*iacula *pa*trum — *pa*rva. — 594 sq. *fa*tisque — *fa*ta *f*erunt. — 652 sq. *pa*ratu — *pa*res *p*rimaeva.

Liber III. 33 *s*pargebant *s*idera *s*omnos. — 56 sq. *pa*vidum *p*raesepibus — *p*ecus et *p*rofugi. — 81 *p*rimam — *p*ater accipe *p*ugnam. — 127 *re*measse *r*atus pulsumque *re*quirens. — 133 *t*ollitur hinc *t*otusque ruit *T*irynthius. — 134 sqq. *p*ectore — *p*er *p*iceos — *p*ectus — *p*er medium. — 183 sq. *pr*imum *pu*er — *pu*lcher — *pros*pera *pros*travitque — *p*er *p*ectora. — 197 *c*ita *c*uspide *c*assis. — 199 per *c*lipei *c*edentis opus *c*ratemque. — 385 *ne*fandam edocuere *ne*cem. — 389 *s*uos *s*ontes inimicaque *p*ectora *p*oenis. — 436 *pr*ima *p*edum — *pr*aetexere. — 439 *p*iceae — *p*rosectaque *p*artim *p*ectora. — 441 *t*er *t*acitos egere gradus, *t*er *t*ristia *t*angens. — 442 *v*estesque *v*irum — *p*onto *p*one. — 463 *t*abulata *t*oris — *t*rementum. — 489 consortem *cu*ris *cur*susque. — 527 *p*ede *p*lausa — *p*ersonat. — 571 *ac*rem intendens *ac*iem. —

Liber IV. 85 *s*umma *s*ociis — *s*acerdos. — 129 *mora* *mor*ti. cfr. 243 *mor*iere *m*anu — *mor*atus. VI 241 immemoresque *mor*i. — 154 *tem*nite *tem*pus. — 167 *f*ulminea *f*rontem *d*extra *d*isjectaque *f*udit. — 191 *f*ormidine *f*axo — *f*erat. — 197 sq. *p*andit — *p*ecus — *p*ulsa *p*one — *p*raecedit. — 200 sq. *tu*rba *tu*endo — *t*anti — *m*etus. *m*ortalia — *m*anent — *m*ontibus. — 248 *m*aesto *lu*strarunt *lu*mine (cfr. VII 334) *m*ontes. — 279 *re*spirant — *re*ponunt. 281 *re*fovet. —

335 sq. *r*espiciensque *r*atem *p*atriis — *p*recor — *r*efer — *c*urre *c*orona. — 341 sqq. *p*raecipiunt *p*ecudum *t*oto *m*ox *t*empore *m*ensae *l*aetus — *l*aude *v*irum — *v*atis — *v*ictori. — 355 sqq. *de*siluit; *d*ominam — *t*ellus — *de*prensae *tre*muerant *c*onscia *c*ulpae — *tre*pida — *p*aelex — *p*lausu — *p*ectora. — 363 sq. *di*lectae *p*ecudi jam *p*ascua *di*gna *p*raecipuosque. — 414 sq. *in*terea — *in*tonat — *in*surgens. cfr. 494 *in*cessere — *in*festare — *in*hiat. VI 255 *in*vadit *in*ermem. *in*pulit. VII 195 *in*cipit; *in*geminant. 528 *in*cipit *in*de. — 446 *p*ectora; *p*raesentis *p*otius. — 504 sq. *p*rimum *p*avidae — *p*ervolitant — *p*etunt. — 567 *pro*gresso *pro*pius. cfr. VI 148 *pro*fugi cum *pro*le. 385 *pro*cubuit — *pro*pulit. VIII 339 *pro*cosque *pro*fuerit *pro*na. — 573 sq. *pr*operanda *re*cursu. vix *re*petunt *pr*imae. — 596 *s*aeva *s*equitur *ca*ligine *ca*mpos. V 549 *Ca*stora *ca*mpo *c*rebrior. VI 225 *ca*ndentis *ca*rbasa. VIII 92 *ca*put *ca*ri. 346 *ca*rum *ca*put — *c*ruenta. 417 *ca*ptiva *ca*rinae. — 627—31 *pr*aecipitat — *t*empusque *t*imendi — *pr*imi — *pr*osequitur — *pr*aemia — *p*ossim *p*ersolvere — *P*angaea — *p*aterna. — 641 *s*onitus in*sa*naque *sa*xa. — 642 sq. *pr*aecipitata *pr*ofundo — *p*ars — *p*oli. — 644 *f*erre *f*ugam — *r*atem — *r*epente. — 662 *t*enebras — in*ter*micat — *ter*rifici — *t*onitrus. — 738 *t*urbam *t*ecta *t*rahit — *t*ropaeis. —

Liber V. 21 *d*icta *d*abant — *d*ebita. 22 sq. *pr*aecipiti — *pa*rentum — *pa*rva — *pr*ecantur. — 35 *c*ernens *c*orpora *c*ara. 90 sq. *c*omitem — *con*didit — *con*surgens. — 109 *sin*us *s*tat opima *Sin*ope. — 130 *M*artis interea *m*emorate *m*anus. — 136 *s*agittae utque *s*ecurigeras *s*timulaverit. — 154 sq. *c*ubile — *c*ernitur — *c*onsurgens *C*aucasus. — 163 *ar*duus *ar*ces. cfr. 579 *ar*miger *ar*cu VI 423 *Ar*iasmenus *ar*mis. VII 561 austrique *ar*dentis *ar*enae. — 188 *s*tat *s*oror hinc *s*aevae. — 196 sq. *p*roperantia — *p*assum — *p*atrias *p*lacidus. — 224 *S*cythica *s*enior jam *S*olis. — 239 *p*rocorum *p*acta *p*etat. — 242 *t*radere *t*erga — *f*also *f*usus. — 244 *t*oris — *t*remens *p*atriumque *p*recatur. — 259 sq. *m*onstrisque *m*inacibus — *m*onens *s*emper *d*eus et *d*ata *s*eri *s*igna *m*ali. — 268 *p*roripit — *p*raecipitatque *p*atres. — 327 sq. *p*laga *p*roxima *c*ampi *c*orripiunt *re*gemque *p*etunt jam luce *re*ducta. — 351 *pr*ima — *pr*ocedere *p*assu. — 356 *c*ustos — *c*ultus — *c*ui *c*reditus.

— 377 sq. *de*fixus — *d*ucem *d*ominamque — *de*a — *de*cus. — 404 sq. *p*aternis — *p*roceres — *p*opulosque *p*recantes — *p*raesens *p*ater. — 462 sq. *p*rogenuit *p*ariterque — *p*ost — *p*raecipue — *p*atres — *p*roelia. — 490 *p*ecudis — *p*ericlis — *p*erferre. — 495 *s*aevi *s*tatuissem *s*anguine. — 532 *p*ugnaeque *pr*opinquae — *pr*ior — *p*lacidis — *p*ectora. — 534 *t*ali vos *t*empore *t*ectis. — 579 *s*ubligat et *st*ricto *st*at. cfr. VI 699 *s*tamine *s*ilvae *s*ubligat. — 580 *p*ugnam *p*aret et *p*ositas. — 589 *re*spicit — *re*ddit. cfr. VII 245 *m*alis *re*quiem — *me*ntemque *re*pone, *re*dde. — 591 *c*unctis — *c*oma *c*ulta. — 603 *p*avidi cum *p*role — *p*ervigil. —

Liber VI. 28 *s*ponte *s*ua *s*trepuere tubae. Mars *s*aevus. — 34 *m*one — *m*olimine. — 51 *c*redere *c*aptus *c*arpore. — 125 *m*agnanimus *m*os — *m*ortis. — 143 *s*uas; *s*ua *s*igna *se*cuti. — 236 *v*aditque *v*irum *v*i. — 270 *con*latis *c*ursibus — *con*iciunt. — 290 *t*arda *t*ibi *t*urpesque. — 291 *par*uimus *par*vique *vi*am. — 338 sq. *p*atriis bellare *pr*uinis *pr*aedarique juvat. — 359 sq. *t*endunt illi *t*ractuque vicissim *t*aurea *t*erga — *t*ellus. — 362 *m*embra viri *m*iseranda *m*eant. — 383 *m*ontis *m*achina *m*uri. — 397 *s*aevis *s*qualentem *s*ustulit. — 435 *p*ascua — *p*roflantes *p*ectore. — 441 sq. *s*parsosque — *s*ucos *s*idera — *s*tupet — *S*olis. — 469 *p*otitur nec *p*assa *p*recari. — 479 *so*no — *so*rorem. cfr. 483 *so*ror — *so*la — *s*cis *s*ocias. — 480 *pro*cul — *p*avor — *pro*tinus — *p*erculit. — 501 *m*endaci — *m*eque — *m*agistram. — 520 *t*repidae — *v*erso *v*ulnera *t*ergo. — 537 *pe*tiisse *pe*cus non *p*ascua. — 683 *du*ra *du*cum *d*ensique. — 703 *s*aevum *s*polia — *S*yenen. — 704 *m*ulto *m*aculatam *m*urice. — 705 *c*oncita *c*uspis — *c*ruores. — 718 sq. *m*agis — *m*ovetur — *m*etu — *Me*leagre. — 723 sq. *f*uga *f*oeda *d*ucum — *c*adentum — *c*ruor — *c*urrus *d*ominis.

Liber VII. *t*antas *t*imuere — *t*alemque 60 sq. *p*lus *p*uppe — *p*etitis. — 81 *p*osse *p*utet. *p*erstrinxerat. — 83 *t*e, *T*iberine, *t*uens. — 91 *v*ersa — *v*estra *v*olutant. — 109 *p*aulum *p*rocedere *p*ostes. — 143 *s*opor; *s*upplex — *s*ternitur. — 173 sq. *con*tingere *c*ura — *con*tinuo — *c*ingula. — 176 sq. *p*oscunt *p*ectora — *p*udor. — 184 sq. cantuque — *co*gam *co*mpescere. — 202 sq. *co*gar *co*mes. — 215 *p*aulatim *p*utat

esse *p*atris. — 325 *t*um *t*halami *p*enetrale *p*etit. — 392 *st*abulis — *st*repitusque *s*epulchris — *st*upet. — 395 *tr*abes — *tr*iformis. — 401 *p*ecorique *p*avor — *p*rofundum. — 418 *d*ona *d*ari *d*ecuit. — 459 *pa*triam *pa*riter cfr. VIII 281 *pa*riter *po*pulusque *pa*tresque. — 484 *me* *m*ox *m*erita *m*orituram. — 505 *t*errigenas, *t*um me *t*ectis *tu*a *tu*rbet. — 532 *p*ostremum — *parat* — *par*entis. — 538 *d*icta *d*edit — *d*iscessit. — 582 *r*uunt — *re*cedunt — *re*tro. —

Liber VIII. 39 *re*perta — *re*quiro. — 64 *vi*gilanti — *vi*denti. — 94 *s*eque *s*uum *s*imul. — 130 sq. *pr*omovet ad *pr*imas — *r*atis — *r*ipas. *pr*aecipites. — 135 *f*ata — *f*erens *f*raudemque *f*ugamque. — 150 *un*guibus *un*cis. — 192 *s*aeva *s*ubire *s*axa. — 318 *s*ed *s*ummo *s*egnis *s*edet. — 323 sq. *t*erras *t*empestatemque — *v*entorum — *v*olucrum — *t*urbida. — 391 *s*ed *s*ola *s*ese virtute *s*equantur. — 408 *v*anos, *ve*ros *ve*rsat. — 440 *qu*in nunc *qu*oque *qu*aere. — 461 *v*ellera *v*exit ovans *in*terque *in*gentia. — 463 sq. *du*bitas — *du*re — *ma*gnumque *m*inatur — *pr*aesens *p*udor — *d*ecreta — *du*ra *pre*munt. —

I 774 sq.

veteris sub nocte cupressi
sordidus et multa pallens ferrugine taurus
stabat adhuc, cui caeruleae per cornua vittae
et taxi frons hirta comis, ipse aeger anhelans
inpatiensque loci visaque exterritus umbra.
hunc sibi praecipuum gentis de more nefandae
Thessalis in seros Ditis servaverat usus.
tergeminam *tum* placat eram Stygiasque supremo
obsecrat igne domos jam jam exorabile *retro*
carmen agens.

Versu 782 jure nos offendit locutio insolita nec ullo exemplo fulta »carmen *retro* agere,« quae quid sibi velit Thilo in adnot. critic. fatetur se non intellegere (cfr. Prolegg. pag. XXX). Ac re vera omnino nequit sensus inde effici tolerabilis. Quae quum ita essent, primo cogitabam legendum esse *crebro*, quoniam mos est usitatissimus atque hodie quoque receptus, ut identidem, non semel tantum, carmina ad daemonum evocationem pertinentia recitentur. Verum quum mecum

reputassem, solere poetas ea in re non incertum quendam significare numerum[1]), hanc opinionem reliqui. Deinde quum secundis curis locum tractarem, in eam lapsus sum sententiam, ut scribendum esse crederem:

rite carmen agens.

Cfr. V 98

carmina quin etiam visos placantia manes
Odrysius dux *rite movet.*

ejusd. libr. 192

ipse gravi patera sacri libamina Bacchi
rite ferens umbram vocat et sic fatur ad aras.

III 444 sq.

quin etiam truncas nemorum effigiesque virorum
rite locat quercus simulataque subligat arma.
huc Stygias transire minas iramque severi-sanguinis.

VI 93

indigenas sed *rite* duces et prisca suorum
facta canunt.

Locutionem »carmen agere« etiam IV 87 usurpavit poeta:

securum numeris agit et medicabile carmen.

V 320 in fine versus scripsit in*exorabile* certe.

Sero vidi Ph. Wagnerum[2]) quoque de hoc versu egisse

---

[1]) Cfr. Ovid. Met. VII 261

*ter*que senem flamma, *ter* aqua, *ter* sulphure lustrat.

XIII 952

et purgante nefas *noviens* mihi carmine dicto.

XIV 58

ter noviens carmen magico demurmurat ore.

ibid. 387

ter juvenem baculo tetigit *tria* carmina dixit.

Verg. Ecl. VIII 73 sqq. Aen. IV 510. Horat. Ep. I, 1, 37. Tibull. I, 2, 54. Val. Fl. III 441 et alibi.

[2]) Philolog. pag. 630. »Was sollen hier die unverständlichen Worte exorabile retro c. a. bedeuten? Es kann wohl keinem Zweifel unterliegen, dass Val. statt retro geschrieben habe Morti oder vielmehr Leto. Man erinnere sich nur des Sophocleischen Verses Aj. 854

»ὦ Θάνατε, Θάνατε, νῦν μ' επίσκεψαι μολών.«

neque infeliciter conjecisse *leto*; nihilominus vero meam etiamnunc retineam scripturam, utpote cui loci illi non minus faveant.

De universa extrema libri primi parte imprimis inde a versu 774 usque ad vers. 819 erudite ac pluribus disputat Thilo (Prolegg. pag. XXIX sq.) negatque, quamvis primos certe libros a poeta limatos esse propter rem ipsam probabile videatur, extremum perpoliendi laborem ad exitum libri primi Valerium adhibuisse[1]). Tot enim tamque graves in iis, quae de Aesonis morte narrentur, inesse offensiones, ut in illa sententia non potuerit non consistere. Atque rectissime dicit versibus 781—784 rerum narratarum ordinem turbari, verum opprobrio vertere mea quidem sententia poetae non debebat, quod non apertis verbis ante v. 774 indicavit Aesonem tauri sanguine poto mortem sibi voluisse consciscere; qua de re Ph. Wagner (Jahrb. f. cl. Phil. pag. 392) dicit: ... »Hier wird behauptet, vor Vs. 774 habe der Entschluss des Aeson erwähnt werden müssen, durch den Genuss des Blutes des Opferstiers zu sterben. Wozu dies, wenn es der Dichter, und meiner Meinung nach mit Recht, hinreichend fand, die Thatsache selbst, worauf es ankommt, ihres Orts zu erzählen? Eine vorgängige besondere Mittheilung des Entschlusses würde das schauerliche der Handlung unnützerweise abgeschwächt haben.« Ceterum haud inepte versibus praecedentibus satis

---

[1]) Hoc loco memorare lubet, quae docte et acute de ratione, quae inter primos Argonauticon libros et octavum intercedat, monet Fr. C. Hermann in programmate Berolinensi ann. 1863 »Die Elision bei den römischen Dichtern« pag. 16. »Aehnlich wie bei Statius stellt sich das Verhältniss bei Val. Fl., in dessen erstem Buche 851, 104, 12, in dem letzten dagegen 468, 136, 30 sich finden (die erste Zahl bezeichnet die Gesammtzahl der Verse, die zweite die Zahl der Verse, in welchen ein oder mehrere Male ein Zusammenstoss von Vocalen stattfindet, die dritte endlich bezeichnet das Verhältniss der zweiten zur ersten Zahl nach Procenten vide pag. 9), doch unterliegt es hier wohl keinem Zweifel, dass der Dichter nur durch seinen zu frühen Tod, wie an der Vollendung des Gedichts, so auch an der vollständigen Durcharbeitung desselben gehindert wurde; denn eine so grosse Verschiedenheit des Verhältnisses in einem Werke ist äusserst auffällig.«

significasse Valerius habendus est senem de obeunda morte cogitare: v. 767 sqq.

> et jam circumspicit Aeson,
> praeveniat quo fine minas, quo fata capessat
> digna satis: magnos *obitus* natumque domumque
> et genus Aeolium pugnataque poscere bella.
> est etiam ante oculos aevum rudis altera proles,
> ingentes animos et fortia discere facta
> quem velit atque olim *leti* meminisse *paterni.*

ergo sacra novat. — Jam mentio fit tauri, quem *in seros Ditis servaverat usus* (v. 780) Thessalis, i. e. Alcimede (cfr. v. 737). Hucusque omnia mihi videntur sanissima esse ac recte instituta. Mirum autem procul dubio est, quod subsequenti versu »tergeminam tum placat eram e. q. s.« subito Aeson rursus inducitur nomine ipso non indicato, quum a vers. 774—778 de tauro agatur, deinde Alcimede subjecti loco commemoretur. Quam offensionem ut tolleret, Thiloni non contigit; nam quod olim versuum transpositionem statuerat, ipse postea rejecit, quoniam novae inde majoresque etiam exoriuntur dubitationes[1]. »Itaque quid restat, inquit, nisi ut hanc carminis partem a poeta non emendatam esse dicamus?« Omnibus perpensis difficultatibus ego inter vers. 780 et 781 unum versum intercidisse reor, cujus sententiam tali fere ratione exprimam:

et memor[2] *extemplo*[3] *producit ad ora*[4] *mariti*, tum pergo: tergeminam *cum* placat eram etc.

Lacunam illam re vera adesse valde propterea quoque probabile fit, quod v. 781 codd. VP pro vulgata lectione *tum* exhibent *cum.*

---

[1]) Cfr. Ph. Wagner Jahrb. f. cl. Phil. pag. 405.

[2]) Saepenumero adjectivum memor absolute posuit Valerius velut I 826. III 397. 449. IV 84. 314.

[3]) vide II 605. IV 315. 637. VII 425. 456.

[4]) Sic saepissime persona ipsa circumscribitur; cfr. I 292 virginis ora. cfr. VI 718 et V 379. — III 314 *mariti.* 641 ducis. — IV 300 viri cfr. VII 34. 431. — 357 juvencae. 395 bovis. V 128 comitum cfr. 313. — 336 patris cfr. VIII 273. — 387 *duc* . . . ad vestri — ora tyranni. 409 dei cfr. VII 294 deae. — 572 Aeacidum. VII 115 hospitis. 152 sororis. 277 procorum. 369 Colchidos. VIII 151 praedonis.

Transeo nunc ad *libr. II* v. 58:

quin agite, o socii; micat immutabile caelum
puraque nec gravido surrexit Cynthia cornu,
nullus in ore rubor, certusque ad talia Titan
integer in fluctus et in *uno* decidit *euro*.

Hanc quam codices habent lectionem defendunt Aug. Wagner (C. P. pag. 56) Weichertus (Ep. crit. pag. 34—37) Ph. Wagner[1]. Ille vero quum eurum pro quovis poni vento et Solem uno flante vento occidentem serenae signum esse tempestatis putasset, postea (Observ. crit. pag. 340—344) ineptam esse sententiam intellexit, qua quis eurum ventum maxime praecipitem et omnium infestissimum tanquam serenitatis πρόδρομον et nuntium hic memorari statueret. Quare amplexus est Itali cujusdam emendationem *auro* a Joanne Columbo Heinsio Burmanno Peerlkampio comprobatam, cui in textu locum dare jure Thilo non dubitavit, quoniam persaepe aurum vocabulum a poetis usurpatur, quo solis ad interitum vergentis fulgorem eleganter depingant. Pro *uno* variae a viris doctis prolatae sunt conjecturae, velut in editione Bononiensi scriptum est *et in imo*, Heinsius, qua est conjectandi mobilitate ac rabie[2], proponit *vicino* vel *redituro* vel *genuino*, Columbus *et mundo*[3], quam conjecturam, quod ad sententiam conexumque loci attinet, aliis veriorem habeo. Licet enim sollerter *uno auro* tuitus sit Weichertus, tamen si verba antecedentia

---

[1] Philolog. pag. 621. »Die Worte in uno Euro haben den älteren Kritikern und auch unserem jüngsten (i. e. Eyssenhardtio, cujus operam in Valerii carmine emendando collocatam justo minoris aestimat cfr. imprimis pag. 627), welcher *miti* statt in uno schreiben will (Mus. Rhen. XVII pag. 384) viel Noth gemacht, ich glaube ohne Noth. unus bezeichnet das continuirliche, perpetuirende, wie μιᾶς τρέφει πρὸς νυκτός bei Soph. Oed. R. 374.«

[2] Cfr. adnot. crit. ad ejusdem libri vers. 280 (ad quem sex conjecturas fundit); 318. III 133. 175. 440. 444. 526. 626 *et* alia hujusmodi.

[3] Thilonis adnot. cr. ex Addendis adscribenda est Kochii conjectura nimis audax (Mus. Rhen. XVIII pag. 163): »et *pleno* decidit *orbe* ist das Richtige. Es ist hier das Wetterzeichen gemeint, das Virg. Georg. I 458 so bezeichnet: At si, cum referetque diem condetque relatum, Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis; das Gegentheil steht v. 442 ubi — medio refugerit orbe.«

respicio »*pura*que (i. e. innubila) *nec gravido* (i. e. non obnubilato) surrexit Cynthia cornu« ac deinde »Titan *integer* in fluctus decidit«, memor usus illius Valeriani, cujus ad v. 271 libr. I pag. 6 mentionem feci, et ipse judico pro *uno* vocabulum aliquod ex manu poetae esse profectum, quod simile quid significet atque illa adjectiva. Quam ob rem fortasse erunt, quibus probetur haec lectio:

et *nudo* decidit auro.

Plus accedit conjecturae ponderis libr. II v. 171 »*nudis*que sub astris« i. e. sub astris nubibus non involutis hominumque oculis subductis. Praeterea similiter locutus est poeta III 2:

Tertia jam gelidas Tithonia solverat umbras

*exuerat*que polum i. e. secundum Burmanni interpretationem, qui compluria hujus generis exempla ad h. l. contulit, »serenavit et nubibus quasi veste detractis luce aperta perfudit.«

Libr. II vers. 70.

haec ubi dicta dedit, Cereris tum munere fessas
restituunt vires et *parco corpora* Baccho,

ubi in codd. VP cor*i*oro legitur pro cor*p*ora, quod liber Monacensis exhibet. Haec autem correctio Gust. Meynckio, qui observationes Valerianas Bonnae anno h. s. LXV publici juris fecit, videtur interpolatori deberi (pag. 36 sq.). At vero quamquam rectissime animadvertit solere Valerium et similes poetas, qua sint dicendi ubertate vel potius luxurie, in altero bipartiti enuntiati membro eandem notionem vel sententiam dedita opera iterare, quae in priore parte expressa sit, tamen non queo ei adsentiri *robora* refingenti, immo persuasum habeo e Vaticani memoria nihil aliud esse eliciendum quam *corpora*, quae mutatio omnium profecto lenissima est[1]). Idem deinde expellendum ducit epitheton *parco* ad *Baccho* positum his usus

---

[1]) Eum codicem, ex quo Vaticanus 3277 fluxerit, majusculis scriptum fuisse passim patet, velut I 330 pro *r*aucos, quae est vera lectio, in eo scriptum exstat *p*aucos. 837 *c*erens pro *g*erens. II 7 *p*isaeae pro *T*isaeae. III 96 pro *f*acesque *p*acesque. 347 *p*er pro *t*er. 539 *p*ercula pro *f*ercula et alia.

argumentis: »*Parco* additamentum, inquit, meo quidem sensu prorsus ridiculum removendum est. Quaero enim: quo tandem consilio poeta hoc addidit? Num ut largiorem vini usum viribus detrimento esse significaret? An ut raram Argonautarum in victu temperantiam laudaret?« Quapropter audaciori calamo emendat:

et *amico* robora Baccho.

Verum negem traditam lectionem corruptela laborare. Etenim is parce vino uti optime dicitur, qui quantum sufficit ad sitim cohibendam bibit. De qua adjectivi significatione unum tantummodo locum eumque celeberrimum afferam Horat. Carm. III 16, 44

multa petentibus
desunt multa, bene est cui deus obtulit

parca quod satis est manu. Si quid nostro loco mutandum esset, ego, quod olim cogitaram, aut *largo*[1]) reponerem (cfr. Horat. carm. III, 18, 6) aut *pascunt*, unde *parco* corruptum esse non ita abhorret a probabilitate. cfr. Ovid. Met. libr. IV v. 263

lacrimisque suis jejunia pavit.

Meynckianam vero scripturam, utpote quae a traditae lectionis ductu nimis longe recedat, amplecti nullo pacto possum.

II 112

it barbara vestis et torques, insigne *loci.*

Recte Meynckius l. c. pag. 37 mihi judicasse videtur in *loci.* quod est additamentum languidissimum, mendum aliquod delictescere. Quod autem totum enuntiatum ita restitui vult, ut legatur »*en* barbara vestis et torques, insigne *ducis*, habet quidem, quo commendetur, ac sine ulla dubitatione priorem probo emendationem, qua *en* pro *it* corrigit codicum adjutus me-

---

[1]) Item adjectiva *largus* et *parcus* in codicibus permutata sunt apud Ovidium Fast. libr. II v. 636:

Jamque ubi suadebit placidos nox humida somnos,
Larga precaturi sumite vina manu.

Sic recte nunc legit Rud. Merkelius, quum olim in editione Fastorum Berolinensi a. h. s. XLI scripserit *parca.*

moria, qui *et* praebent, sed pro *loci* scribendum esse suspicor *tholi*. Populabundi enim in Thraciam invaserant Lemnii (cfr. Apoll. Rhod. I 614 Θρηικίην δηοῦντες et 800), incolas profligaverant, armenta et mulieres secum duxerant thesaurosque omne genus e templis abstulerant, quorum in tholis suspendebantur dona diis dicata (cfr. Verg. Aen. IX 408. Stat. Silv. I, 4, 32. Theb. II 733. IV 333 sq.). Quae igitur ante sacras barbarorum aedes ornaverant, ea jam splendebant in ratibus victorum domum redeuntium. — cfr. I 56

i decus et pecoris Nephelaei vellera *Grajo*
redde *tholo*.

Aspirationem vero saepe omitti in libris manuscriptis constat; cfr. Thilonis adn. cr. ad I 280. 327. 338. 364. 374. 384. 437. 593. 611. 735. 845. II 86. 192. 259. 409. 418. III 213. 666 et alibi. — Verissima emendatione, quae fugit Thilonem, Fr. Jacobsius[1]) idem vocabulum restituit libr. II v. 259:

voces *chorus* et trieterica reddunt
aera sonum fixaeque fremunt in limine tigres,

quae verba, inquit, vulgo de festo in Bacchi templo celebrato accipiunt, quo inter caedes virorum et urbis incendia nihil magis alienum excogitari potest. Sensus esse debuit, preces Hypsipyles, quas patrem in Bacchi templo celans ad Liberum pro patris salute fundebat, faustis ominibus exceptas fuisse. Quare legendum suspicor voces *tholus* — sonum.« Fortasse aliquis, ut vocabulum tholus utcunque explicaret, chorus superscripserat, unde in textum postea irrepsit.

II 236.

diras aliae ad fastigia taedas
iniciunt adduntque *domos*; pars ignibus acti
effugiunt propere, sed dura in limine conjunx
obsidet et viso repetunt incendia ferro.

Diversa tentamina expertus est locus, de quibus Thilonem

---

[1]) Additam. animadvers. in Athenaei Deipnosoph. Jenae 1809 pag. 42.

consulas[1]); *rogos*, quod idem pro *domos* in textum recepit, conjectura est Jacobsii, qui in Matthiae miscell. philol. pag. 74 sic perhibet: »Caedibus *incendia addunt*, quibus occisorum cadavera absumantur; hinc *rogos* addidisse dicuntur. Jam illis, quos flamma comedit, ii opponuntur, qui per flammas eluctari conantur; sensu nunc demum perfecto et integro, qui vulgo vehementer claudicat.« At paullo proprius ad codicum scripturam emendari hic locus potest, quam vir doctissimus fecit. Atque sensus loci eo me ducit, ut corrigam:

addunt que *dolos*.

Ad immanem nimirum, qua in conjuges saeviunt, crudelitatem uxores — tanta sunt animi acerbitate — etiam fraudes addunt ac fallacias, quum incensis domibus miseros, qui salutem quaerentes flammas fugere tentant, misericordiae prorsus expertes gaudiique maligni ac perfidi plenae repellant mortique tradant. cfr. v. 568 tacitusque *dolos* dirumque volutat corde nefas. V 248 *dolos* molitur opertos. — Aliae igitur Lemniades maritos in toris prensos (v. 230) obtruncant; aliae domos incendunt, ut flammis exstinguantur conjuges, quorum pars, ni ferro in incendia essent repulsi, celeri fuga paene evasissent; aliae denique (v. 239 sq.) Thressas invisas trucidant ulciscendi amore abreptae.

II 250.

fuge protinus urbem
meque, pater; non hostis ait, non moenia *laesi*
Thraces habent; nostrum hoc facinus; ne quaere, quis auctor. Participium *laesi* apte hoc loco explicari nequit; nempe ad eam, quam J. Aug. Wagner in eo inesse vult, sententiam[2]) cogitatione complectendam pluribus verbis, ut recte

---

[1]) Addenda est Weicherti ratio, qui Obs. crit. pag. 347 ne literula quidem mutata, sed parum feliciter sic interpungit:

diras aliae ad fastigia taedas iniciunt,
adduntque domos pars ignibus atris;
- effugiunt propere etc.

[2]) Com. perp. pag. 65. »vindictam sumpturi,« vel ut Meynckius explicandi causa addit »a nobis fusi nunc ad ultionem reversi.«

Meynckius l. c. p. 37 monuit, opus erat. Porro eidem prorsus adstipulor disputanti ita: »Quid enim hoc epitheton significat? Num idem est ac devicti? »Proelio autem devictos« »laesos« i. e. injuria adfectos dicere perlanguidum est.« Sed quamvis medela, quam *saevi* conjiciens depravatae voci affert, non displiceat, tamen mutatione prope nulla potius legam *caesi*, unde sensus exsistit hic: non Thraces moenia occuparunt — hi enim caesi devictique sunt (cfr. v. 107), verum nosmet ipsae. Loquendi autem ratio haec adstricta ac brevissima optime illustrat animum virginis anxio pavore oppressum, quae exanimata paene verbisque parcens — considera in universum abruptum ejus dicendi genus — nihil antiquius habeat, quam ut primo quoque tempore patrem carissimum e tanto periculo eripiat. Cfr. III 363

nox Minyas tanta caesorum ab imagine solvit,

ubi codices perperam pro *c*aesorum item habent *l*aesorum.

Cui hac emendatione non satisfacio, ei aliam, sed secundo loco, propono. Fortasse scripsit Valerius

non moenia *Lemni*.

Etenim constat nomina propria, quae Argonauticis contineantur, multis modis pessime depravata esse, cujus rei exempla collata Thilonis adnotatione critica passim invenies. — Similiter Liparen insulam Vulcano sacram poeta circumscribit II 96

nec fama notior Aetne aut *Lipares domus*.

II 377.

quid et ipse viris cunctantibus adsit?

Falso opinor loci sententiam intellexerunt J. Aug. Wagner[1]) et Thilo, qui num Valerii sit haec interrogatio, vehementer se dubitare in adnot. crit. dicit (Cfr. Prolegg. pag. XXIV). At nulla causa idonea mihi adesse videtur, cur Valerio versum deberi negemus. Necesse autem est, ut bonus sensus evadat, pronomen ipse referamus non ad *Jasonem*, ut illi fecerunt,

---

[1]) C. p. pag. 72. »Quin et ipse (Graecorum αὐτός, Hauptperson) dux noster inter cunctantes sit?«

verum ad *Herculem.* Indignabundus invehitur Tirynthius heros »rati invigilans atque integer urbis« (v. 374) in Jasonis ceterorumque segnitiem, qui Lemniadum amore in insula retenti deliciis diffluunt. Quare quum periculum adsit, ne susceptum iter initumque consilium velleris aurei reciperandi plane dimittant, Hercules laborum pugnarumque cupidus (v. 380) aegre fert, quod socium Argonautis sese adjunxit atque, ne diutius frustra apud eos moretur, cum Telamone solo in Colchidem proficisci mavult. Nihil igitur opus est Ph. Wagneri[1]) emendatione:

quin et ipse viris cunctantibus *infit.*

II 520.

illa simul molem horrificam scopulosaque terga
promovet ingentique umbra subit, intremere *Ide*
inlidique ratis *pronae*que resurgere *turres.*

Locus insigni labe foedatus est necdum conjectando ad liquidum perductus. Virorum doctorum sanandi ejus conatus vide apud Thilonem (Prolegg. pag. XXXIV), quibus adjiciendae sunt conjecturae Weicherti[2]) (Ep. crit. pag. 46 sq.):

intremere *undae*
illidique *vadis* pronaeque resurgere *terrae,*

et Ph. Wagneri, qui (Philolog. pag. 634) disputat haec: »Das Ungeheuer regt die See dermassen auf, dass der Berg Ida erzittert. Aber was mit den folgenden Worten anfangen? Ist die handschriftliche Lesart ratis sicher, so ist auch mit Sicherheit anzunehmen, dass der choc, den das aufgeregte Meer auf die am sigeischen Gestade ruhende Argo (vs. 445 sq.) ausübt, im nachstehenden näher bezeichnet ward; daher Valerius in diesem Falle vermuthlich schrieb »*proramque infligere terrae;* das Schiff wird über das Ufer hinaus gegen

---

[1]) Jahrb. f. cl. Phil. pag. 390 ... »eine Verbesserung liegt ganz nahe .... Vom Selbstgespräche geht Hercules zur Anrede über ...«

[2]) Quo jure contendat imitatum hoc loco esse Valerium Verg. Aen. II 203—11, equidem me non satis perspexisse fateor; magis totam de Hesione narrationem redolere arbitror Ovidium Andromedae fata canentem (Met. IV 670 sqq. cfr. imprimis 681 sq. et Val. Fl. II 469 sq.).

das Land geworfen.« Quae quum nuper legissem, summopere gaudebam docti hujus viri consensu; namque jam antea, ut primum de loco emendando cogitavi, persuasum habebam ex *pronae* eliciendum esse substantivum *prora*, contra reliqua amplecti vehementer dubitem. Ac primum adversantibus Gronowio Beckio Aug. Wagnero (l. c. p. 78) Weicherto Thilone nego ineptam esse lectionem unanimo codicum consensu proditam *rates*, quia admodum verosimile duco hic quoque Argo respexisse poetam, quippe quae tantas toto carmine partes agat, ita ut si quis longius eam afuisse contendit, quam ut beluae motibus inlideretur, meras argutias habeam. Praeterea qui ista sententia consociari potest cum versu 541

horrescunt *subitoque vident in sanguine puppem!*

Id si Thilo animadvertisset, aliter certe sensisset. At extremum versus vocabulum quid sibi velit, non liquet. Quum igitur mecum deliberassem, quidnam Valerius hoc versu exprimere vellet, ad eam perveni sententiam, ut nihil aliud dicere eum potuisse confiderem quam monstri motu vehementi ingentibusque voluminibus adeo esse undas excitatas, ut vasta exorta voragine dejiceretur navis, sed sursum mox agitaretur. Hinc nata mihi suspicio est scripsisse poetam:

intremere *undae*
inlidique *rates proraeque* resurgere *hiatu.*

Cfr. VIII 329:

vasto rursus desidit *hiatu*
abrupta revolutus aqua. jamque omnis in astra
itque reditque ratis lapsoque reciproca fluctu
descendit. vorat hos vertex, hos agmine toto
gurges agit.

Praeterea Valerius septies »hiatu« in fine versus posuit I 34. 638. IV 277. 595. IV 552. VII 97. 604. cfr. etiam Lucan. V 641

cumque tumentes
rursus *hiant* undae, vix eminet aequore malus.

Inconsiderate quidam pro rat*e*s, quod exhibent codd. VPC, scripserunt rat*i*s; nam saepe e poetarum communi more pro singulari Valerius utitur plurali numero. Sic ut unum

vocabulum *currus* afferam, quinquies posuit pluralem numerum pro singulari; I 68

nunc aerii plantaria vellet
Perseos aut *currus et quos* frenasse dracones

creditur, ignaras Cereris qui etc. — sic enim praeclare locum desperatum persanavit M. Hauptius (Hermes III, II pag. 212 sq. ann. 1868), qui hos deinde locos confert: II 411. III 415. V 245. VI 6. Accedit quod pluralis huic loco aptissimus est, utpote quo vividis coloribus beluae immanitas depingatur. Ad eandem rem etiam infinitivos historicos qui dicuntur — intremere — inlidique — resurgere — adhibitos invenimus[1]), qui haud raro, ut hoc obiter addam, apud Valerium occurrunt. I 608. II 47. 371. 457. 478. 497. 526. III 95. 257. 268. 601. IV 42. 274. 494. 690. 703. V 127. 169. 173. 267. VI 362. VII 6. 237. 612. 625. VIII 325. Conexus autem totius loci postulare videbatur, ut pro *Ide*, quae est vulgata scriptura, reponeretur *undae*, ut jam Beckius, Weichertus, Aug. Wagner ante voluerunt. Ut enim nimiam praetermittam hyperbolen, quam si Ide scripsisset, poeta commisisset, optime arbitror nunc describi ingentem vim monstri: undae tremunt (cfr. Verg. Aen. III 673 contremuere undae) navemque illidunt adeo, ut prope deprimatur, mox vero resurgat ex gurgite.

Libr. III vers. 323.

tu, mihi qui conjunx pariter fraterque parensque
solus et a prima fueras spes una juventa,
deseris heu.

Acute de hoc loco disseruit Meynckius l. c. pag. 39: .... »Neque aliter atque Andromacha, postquam se patre fratre matre orbatam esse narravit (Hom. Il. VI 414—427) Hectorem solum illorum jacturam conpensare confitetur, Clita suum infortunium eo etiam acerbius fieri queritur, quod

---

[1]) Cfr. Aem. Naucke Observ. crit. et gram. in P. Papinium Statium. dissert. Vratisl. 1863 pag. 34: »Infinitivo historico utitur Statius ad exprimendas actiones *non uno aliquo temporis momento absolutas sed suspensas vel iteratas. Est igitur ejus usus in vividiore descriptione, qua imago rerum quasi ante oculos nobis ponatur.*«

Cyzicus solus sibi conjunx pariter fraterque paterque fuerit. Fratris autem mentione in eis quae praecedunt aegre caremus, cum patris tantum cum natali domo et matris mentio facta sit.« Ea autem ratio locum ad pristinam integritatem revocandi, quam postea iniit, paullo est violentior; mutat enim v. 321 *natales* in *fraternas*. Verum mihi videor invenisse scribens pro *frater*que v. 323 *mater*que, quo modo leniore omnis tollitur offensio.

III 332 sqq.

Interea innumeras nudatis montibus urguent
certatim decorantque pyras et corpora maesti
summa locant; vadit sonipes cervice remissa
venatrix nec turba canum pecudumque morantur,
funereae *quae cuique* manus, quae cura suorum,
quae fortuna fuit.

Versum 336 intricatissimum ac mire hucusque sollicitatum[1]) lego:

funereae *quaeruntque* manus i. e. ea quaerunt, ut rogis imponant, occupatae propinquorum in funere manus, quae praecipue curae vivis erant et in quibus potissimum opes eorum consistebant. De numero singulari (fuit) pro plurali usurpato vide Zumpt. § 369 imprimisque exemplum ex Sallust. Jug. 21 promptum, quod nostro loco simillimum est: possedere ea loca, quae proxima Carthaginem Numidia appellatur — Copulam autem *que* saepe Valerius transponit, velut I 103:

at quibus arvorum studium*que* insontis aratri,
hos stimulant.

---

[1]) Addendae Thilonis adnotationi crit. conjecturae sunt J. Aug. Wagneri (l. c. pag. 98 sq.): funereae*que tulere,* quam conjecturam propter subsequentia et antecedentia praesentia rejicio, et Ph. Wagneri (Philol. pag. 637): *munera dant,* quae cuique manus. »Es ist hier die Rede von den Geschenken, welche mit dem Todten auf dem Scheiterhaufen verbrannt werden sollten. — Sie bringen Geschenke dar je nach Maassgabe eigner Kunstfertigkeit (Gewänder von eigner Hand wie etwa Clite vs. 314), der Liebe und des Vermögens.«

III 233 tunc ensis placeat*que* furor. — Eundem exitum »cura suorum« habet libr. I vers. 812

quin[1]) fida manus, quin[1]) *cura*[2]) *suorum*
diripiat laceretque senem.

De locutione *funereae* manus vide libri III vers. 311:

vos age *funereas* ad litora volvite silvas
et socios lustrate rogos. —

---

[1]) Sic optime codex Carrionis.

[2]) *cura* pro *cara* eximia est Ph. Wagneri emendatio Philol. pag. 631.

VITA.

Bruno Augustus Ferdinandus *Hirschwaelder* die XXVI mens. Octobr. a. h. s. XLVI Habelschwerti, quod est oppidum comitatus Glacensis, natus sum patre Francisco, matre Amalia e gente de Ponickau, quibus adhuc vivis gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Literarum primordiis institutus inde ab anno aetatis undecimo ad decimum septimum usque mutato a parentibus domicilio gymnasium Hirschbergense frequentavi Dietrichio directore ill. tum florens. Deinde quum Vratislaviam pater sedem transtulisset, gymnasium hujus urbis St. Matthiae adii, quod beat. Wissowae viri ill. auspiciis id temporis regebatur. Testimonium maturitatis nanctus a. h. s. LXV ab ill. Reinkensio rectore magnifico in cives academicos ascitus sum, ut studia inirem philologica. Per quadriennium scholas audivi vv. dd. Bernays, Bittner, Elvenich, Haase, Hertz, Junkmann, Peucker, Reifferscheid, Rossbach, Rückert, Suckow, Weber, Zupitza. Tria semestria seminarii regii historici exercitationibus interfui Junkmanni et Roepellii vv. ill. eximia disciplina usus. Itemque Hertzii et Rossbachii vv. ill. benignitate mihi contigit, ut inter sodales seminarii regii philologici reciperer iisque summa cum utilitate mea per biennium essem ascriptus. Omnibus vero studiorum meorum adjutoribus illis fautoribusque benevolentissimis debitam semper me habiturum esse gratiam polliceor.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Aesch. Eum. v. 44 legendum esse reor:

λήνει σεβιστῷ σωφρόνως ἐστεμμένον.

II. Soph. Trach. v. 57 sic scribo:

εἰ πατρὸς
νέμοι τιν' ὥραν τοῦ καλῶς πρασσειν μολών.

III. Eur. El. v. 146 propono:

πάτερ, σοὶ κατὰ γᾶς ἐνέπω γόους,
οἷς ἀεὶ τὸ κατ' ἦμαρ
δεύομαι.

IV. Eur. Hec. v. 504 emendo:

Ταλθύβιος ἥκω Δαναϊδῶν ὑπηρέτης,
'Αγαμέμνονος πέμψαντος ἐμὲ ταφου πέρι.

V. Eur. Heracl. v. 104 conjicio:

εἰκὸς θεῶν ἱκτῆρας αἰδεῖσθαι, ξένε,
καὶ μὴ βιαίῳ χειρὶ δαιμόνων
ἅγν' ἀλιτεῖν σ' ἕδη.

VI. Inter v. 1003 et 1004 Orph. Argon. lacunam statuo.

VII. Ejusdem carminis v. 1317 sic corrigo:

δέος δ' ὤχραινε παρειάς,
μή οἱ ἑκὼν ἀέκουσαν ἑὸν πέμψειε δόμονδε.

VIII. Qui sub Orphei nomine Argonautica scripsit, non usus est Valerio.

IX. Catull. carm. CXI v. 2 sanare mihi videor conjiciens: nuptarum laus est laudibus *ex nimiis*.



INDEX LOCORUM,

qui hoc opucsulo emendantur aut explicantur.